

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Sapientia uel scientia x
cum fonte primo

Vides quod non probat multum scientem, si modum sciendi nescierit. Vides quomodo fructum et utilitatem scientie in modo sciendi constituit. Quid ergo dicit nisi ut scias quo ordine, quo studio, quo fine unumquodque nosce oporteat? Quo ordine, ut illud prius quod maturius mouet ad salutem; quo studio, ut illud ardentius quod uehementius ad amorem; quo fine, ut non ad inanem gloriam et ostentacionem, sed ad tuam et aliorum salutem.

Bernardus super Cantica sermone XXXVII. exponens illud I. ad Corinthios VIII.: Si quis existimet scire et cetera.

Vides quoniam non probat multa scientem, si sciendi modum nescierit. Vides, inquam, quomodo fructum et utilitatem scientiae in modo sciendi constituit. Quid ergo dicit modum sciendi? Quid, nisi ut scias quo ordine, quo studio, quo fine quaeque nosse oporteat? Quo ordine: ut id prius, quod maturius ad salutem; quo studio: ut id ardentius, quod uehementius ad amorem; quo fine: ut non ad inanem gloriam, aut curiositatem, aut aliquid simile, sed tantum ad aedificationem tuam, vel proximi.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones super Cantica canticorum*, 36, 3 (SBO 2, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.5, ll.17-24).